eustochium quasi ablactatam super matre
sua abstrahi a parente non poterat.
Deosculari oculos herere vultui totum
corpus amplexari et se cum matre
velle sepeliri. Testis est iesus ne unum qui
dem nummum ab ea filiae derelictum.
sed ut ante iam dixi derelictum magnum aes alienum.
et quod his difficilius est fratrum et sororum
inmensam multitudinem quos et sustentare
arduum et abicere impium est.
Quid hac virtute mirabilius feminam
nobilissimae familiae magnis quondam
opibus tanta fide omnia dilargitam ut ad
egestatem poene ultimam perveniret.
Iactent alii pecunias et in corbanan dei aera
congesta funalibusque aureis dona penden
tia. Nemo plus dedit pauperibus quam
quae sibi nihil reliquit. Nunc illa di
vitiis fruitur et his bonis quae nec oculus
vidit nec auris audivit nec in cor hominis
ascendere. Nostram vicem dolemus et
invidere potius gloriae eius videbimur
si voluerimus diutius flere regnantem.
Secura esto eustochium magna hereditate
ditata es. Pars tua dominus et quo
magis gaudeas mater tua longo mar
tyrio coronata est. Non solum effusio
sanguinis in confessione reputatur sed de
votae inmaculata quoque mentis servitus cotidianum mar
tyrium est. Illa corona de rosis et violis
texitur ista de liliis. Unde et in can
tico canticorum scribitur fratruelis meus
candidus et rubicundus et in pace

et in bello eadem praemia vincentibus tribuens.
Mater inquam tua audivit cum abraham.
exi de terra tua et de cognatione tua et
veni in terram quam ostendam tibi.
Et per hieremiam dominum praecipientem. fugite
de medio babylonis et salvate animas vestras.
Et usque ad diem mortis suae non est reversa in
chaldeam. nec ollas aegypti et viru
lentas carnium desideravit. sed choris
comitata virgineis civis est salvatoris
effecta et de parvulo bethleem cael
estia regna conscendens dicit ad veram
noemi. populus tuus et populus meus
et deus tuus et deus meus. Hunc tibi librum
adduas lucubratiunculas eodem quo
tu sustines dolore dictavi. Nam quo
tienscumque stilum figere volui et opus ex
arare promissum totiens obriguerunt digiti
cecidit manus sensus elanguit. Unde
et inculta oratio votum scribentis absque
ulla elegantia et verborum lepore testatur.

VALE O PAULA ET CULTORIS TUI
ULTIMA SENECTUTE ORATIO
NIBUS IUVA. FIDES ET ORATIO (pe)
tua christo te sociant. Praesens facilius quod
postulas impetrabis. Exegi monumentum
aere perennius quod nulla destrue
re possit vetustas. Incidi elogium sepul
chro tuo quod huic volumini subdidi
Ut quocumque noster sermo pervenerit te lau
datam in bethleem conditam lector agnoscat.

TITULUM SEPULCHRI

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BLB Badische Landes-Bibliothek
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Badische Landesbibliothek
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/blb_augperg105/0356